

ADDITIONES CASINENSES.

Circa ministri intentionem in conficiendis ac conferendis sacramentis, nonnulla iis quæ ab auctore et in Appendice ex aliena manu dicta sunt nobis addere liceat.

Et quidem aliquam intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia in eo (in ministro) requiri, fidei dogma est, Tridentino deficiente in hæc verba: « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. » Can. 11, sess. 7. de Sacramentis in genere.

Nec levia sunt rationum momenta quibus hoc fidei dogma firmatur. Sicut enim Christus Dominus sacramentorum Ministros constituit, ita eorundem (sacramentorum) administrationem *actionem humanam* esse voluit. Actio autem humana esse non potest, nisi ex rationis iudicio et cum voluntatis intentione. Porro actio sacramentalis generatim accepta ad fines varios referri potest: Infans quippe, ut exemplo rem explanemus, aqua potest abluere ad munditiam corporis, ad sanitatem, etc. Quamobrem, ut ablutio sit revera sacramentalis, ad finem baptismi per intentionem abluentis determinetur necesse est. Deinde, quo sacramentum valide confertur, qui illud administrat uti Ecclesiæ ministrum se gerere debet, proindeque illud animo intendere quod Christus instituit aut facit Ecclesia.

Ex his porro inferitur eum qui jocose ac scurriliter sacramenti ritum celebrat, sacramentum non conficere nec valide administrare. Hinc novatorum error, sacramenta per jocos administrata nihilominus rata esse asserentium, a Concilio Tridentino, cit. can. 11, de Sacrament. in genere, optime merito fuit damnatus.

Nec quemquam movere debet quod Socrates, lib. 1 Hist. Eccles., cap. 15; Sozomenus, lib. 11, cap. 17, et Rufinus, de Alexandro patriarcha Alexandrino tradunt: ei nempe ratum visum fuisse ac validum baptisma ab Athanasio nondum ex puerili ætate emerso, atque cum aliis pueris ludente, collatum. En verba Sozomeni: « Cum omnia (in baptismo collato ab Athanasio) juxta ordinem ecclesiasticum exacte in illis servata esse (Alexander) reprehendisset, communicato consilio cum sacerdotibus quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel recipere meruissent. Reliqua vero, quæ a solis sacerdotibus baptismum tradentibus administrari fas est, in illis supplevit. Athanasium porro aliosque pueros qui in eo ludicro presbyterorum aut diaconorum partes egerant, sub divino testimonio, parentibus ipsorum tradidit, quo ipsos ad Ecclesiæ ministerium educarent, informarentque ad ea officia quæ fuerant imitati. » Loc. cit.

Quamvis enim id ita gestum a supra memoratis scriptoribus ponatur, sat dubiam tamen incertamque ejusmodi narrationem esse, vel potius intra fabellas amandandam, si artem criticam consulas, affirmare non

dubitabis. Et revera ex Hieronymi Chronico constat Alexandrum anno 321 ad Alexandriam sedem fuisse promotum. Porro Athanasius, eodem Sozomeno referente concilio Nicæno, anno 325, jam diaconus ac inter theologos celeberrimus interfuit; et quod magis est, insequentibus annis, nimirum 326, Alexandro vita functo, episcopus Alexandrinus est inauguratus. Quod si Alexander Alexandriæ Ecclesiæ gubernacula suscepit anno 321, et post quinque annos eidem in Patriarchatu Athanasius successit, absolute repugnans videtur quod puerilem ætatem circa illa tempora ageret: maximeque ex eo quod communiter teneant eruditi, eundem ætatis suæ anno trigesimo, prout Ecclesiæ ferebat disciplina, episcopum fuisse renuntiatum; nec unquam ei ab arianis objectum legamus, ac sic junior episcopatum arripuisset.

Sed etsi Alexandrum anno 313 vel 314 ad sedem Alexandriam evectum esse dicamus, ut PP. Maurinis, ex Eusebio, lib. vii Hist. Eccles., cap. 32, simul cum Gelasio Cizycæno collato, visum fuit attamen Athanasium annum duodevigesimum tunc attingisse oportuit; quæ sane ætas ab illis puerilibus nugis aliena est abhorretque quibus Socrates et Sozomenus ipsum distentum tradiderunt.

Et quamvis factum istud uti certum ponamus, nihil tamen ex eo ad hæreticorum errorem astruendum argui posse vel inde liquet, quod Athanasius, non irrisorie, sed serio baptisma, ritu ab Ecclesia peragi solito, contulerit, nec omnes promiscue pueros, sed duntaxat catechumenos, baptizaverit. Quod si antedicti scriptores asserunt in eo Athanasium lusisse, id significare videntur eundem in re serio confecta, oblectamentum quoddam animi, tanquam extrinsecum finem, sibi proposuisse.

Quamquam vero inter catholicos constet in sacramenti ministro aliquam intentionem requiri, *saltem faciendi quod facit Ecclesia*, de hujus tamen intentionis objecto, seu quid illud sit, ad quod ferri debeat ejusmodi intentio, quam omnes necessariam fatentur, disceptatur. Ambrosius Catharinus, in opusculo de Intentione ministri, contendit ad sacramentum valide administrandum satis esse ut minister intentionem habeat ritum externum qui ab Ecclesia adhibetur serio perficiendi; adeo ut, quamvis suam intentionem retineat, aut interius dicat, *nolo facere quod facit Ecclesia*, dummodo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam pandat voluntatem, ratum perfectumque sacramentum ab eo confici, magno rationum apparatu propugnat: quod idem in comitiis Tridentinis videtur sane exposuisse.

Hanc opinionem minime ab eodem concilio damnatam cardinalis Pallavicinus hisce verbis testatur. « Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam; quapropter fas illi fuit affirmare eam concilio non contradicere. » Hist. Concil. Trident., lib. ix, cap. 6, n. 2.

Et hoc magis constare videbitur, si illud

notaveris, sessionem septimam synodi Tridentinæ, in qua hæreticorum dogma de turpiter ab illis intellecta ministri intentione fuit confessum, anno 1547, sub die 3 Maii, habitam fuisse; cum cæteroque Catharinus opusculum suum de Intentione Ministri prælo mandaverit Romæ 1552. Ac tantum abest ut hujus opusculi causa in aliquam erroris suspensionem venerit, quinimo illud, eodem Pallavicino teste, habemus exploratum, nempe « cum excitata fuisset haud scio quæ litteraria contentio inter Catharinum et S. palatii apostolici magistrum, oppositisque invicem libellis litigaretur, rogatum a legatis (concil. Tridentini) Pontificem palatii sui magistrum moneret ut ab inferenda alteri molestia desisteret, affirmantibus vitam et doctrinam Catharini ab omnibus commendari. Unde conficitur opinionem a Catharino defensam Patribus (Tridentinis) haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere: secus nunquam commisissent, ut per communes acclamationes ad episcopatum promoveretur; neque is qui tunc synodo legatus præerat (Marcellus cardinalis Cervinus) postea Pontifex Maximus, nobiliori hominem thiara exornasset. » Loc. cit. n. 2.

Hinc porro est cur sanioris iudicii theologi, Catharini opinionem ab hæresis censura vindicando, latum inter illam ac novatorum errorem discrimen intercedere non immerito censeant.

« Negari tamen haud potest, sic Benedictus XIV, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII, a quo, die 7 decembris 1690, hæc inter alias propositio damnata fuit: *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formaque*

INTERDICTA.

ARTICULUS I NOVISSIME ADJECTIS.

De Interdictis in genere, et de Interdicto quorum bonorum.

1. Ad possessiones pertinent interdicta. De horum derivatione quidquid sit, vel ab *interdicendo* denominentur, quia *interdicere* est *prohibere*; l. *is cui bonis* 6, ff. de verb. oblig.; l. 1, ff. de curat. furioso et aliis extra minor. dandis, § 1, Inst. b. t. de interdict.; Vinn. inst. lib. iv, tit. 15, § 1, in fin. vers. *Proprie interdicta*, etc.; vel *ab interim*, vel *ab inter duos dicendo dicantur*, Inst. b. t. in princ., et Zoes. in Pand., lib. XLII, tit. 1, de interdictis in princ., illud certum est ex monito imperatoris initio tit. Inst. de interd., quod interdicta antiquitus « erant formæ atque conceptiones verborum quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat: quod tunc maxime fiebat cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. » Et quamquam interdictum de itinere actuque privato, de aqua quotidiana et æstiva, de locis sacris et religiosis, proprietatis causam continere intelligantur, ex l. 2, § 2, de interd.; l. 3, § 11, cum §§

FERRAR. IV

baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo facere quod facit Ecclesia. » De Synodo diocæ., lib. vii, cap. 4, n. 8.

Non equidem ignoramus illud quod Invenino et Contensonio visum est, nempe modo allatam propositionem non nisi in sensu hæreticorum fuisse damnatam, cum non sit in illa explicatum utrum minister serio an ludere ritum servet externum.

« Verum, ut hæc res coram Deo se habeat, nulla usque adhuc de ea emanavit expressa Apostolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur *communior sit sententia, exigens in ministro intentionem vel actualem vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id quod Christus instituit seu quod facit Ecclesia*, ET HÆC VELUTI TUTIOR SIT OMNINO SERVANDA IN PRAXI, non est tamen episcopi priorem opinionem reprobare, atque ad hanc posteriorem, etiam theorie tuendam suos diocæsanos adigere. Causas quippe majores difficiliioresque quæstiones fidem aut disciplinam spectantes, ad Apostolicam Sedem esse deferendas statuit perpetua Ecclesiæ consuetudo, ab Innocentio III, in c. *Majores*, de baptismo, confirmata. Quare si constet quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis quæ iterari nequeunt administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum delibata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum. » Cit. oper. de Synodo diocæ., l. vii, c. 4, n. 9.

Atque hæc de intentione ministri dicta sunt.

seqq. de itin. actuque priv.; l. 1, § ult., de aqu. quotid. et æstiv., hoc tamen eo sensu accipiendum, ut non possessionis tantum causam singula contineant, sed per consequentiam adjunctam habeant proprietatis causam aut velut proprietatis; quatenus in istis interdictis eum vincere placet qui jus de ejus usu agitur ad se pertinere ostenderit: d. l. 3, § *hoc autem* 13; Donell. ad hunc tit. Cod., num. 6; Tulden. num. 2; Vinn. ad h. princ., num. 2; Huber. prælect. Jur. Rom. lib. iv, tit. 15, sub. num. 1. Et ex his intelligere est quod habet l. 1, § ult., de aqu. quotid. et æstiva, quod nimirum hujusmodi interdictis tota finiatur quæstio, tum de possessione, tum etiam de proprietate, quæ sane cæteris distinguuntur, cum sint tantum iudicii præparatoria juxta ea quæ habet Voet. ad Pand. h. t., n. 2; Vinn. loc. sup. cit., qui de eadem prima lege mentionem habet.

2. At veterum hodie interdictorum formulis sublatis, et verborum conceptionibus, per interdicta juxta Huber. prælect. Jur. Rom., l. iv, tit. 15, sub. num. 1, *intelliguntur actiones extraordinariæ quibus in causa veræ vel quasi possessionis inter partes disceptatur*, § ult. h. t., Rubr. de interdict., *sic*

extraordinariis actionibus quæ illis competunt. Consule etiam Vinn. inst. tit. de interdict., in princ., num. 1, in fin., Zoes. in Pand. h. t., n. 1, etc. Quæ actiones ideo dicuntur extraordinariæ, quia in his extra solemnem iudicii ordinem brevis cognitio ac semiplena sufficit probatio, l. 8, Cod. *Unde vi*; l. un. Cod. *si de moment. possess.*; l. 3, Cod. *de interdict.*; l. 13, Cod. eod.; l. 13, Cod. *de rei vindic.*; l. ult. Cod. *Quorum bonorum*. Moribus ergo sufficit hodiernum, si actor factum suo simpliciter complectatur libello, et inde utilem in factum actionem ad instar interdicti proponat: Voet. ad Pand. l. 43, tit. 1, num. 1; Gothofred. in not. ad eumd. tit.; Oinotom. inst. tit. de interdict., § 1, num. 27 et seqq.; Zoes. in Pand., num. 3, de interd., etc.

(3. Interdicta, seu actiones extraordinarias ab actionibus proprie dictis in multis differre compertissimum est. Si quis autem de his curiosius inquirere velit, adeat Cujac. lib. v, observ. 17; Paul. Voet. ad princ. Inst. h. t.; Zoes. eod. tit., num. 4; Huber. prælect. Jur. Rom., lib. iv, tit. 13, num. 1, in fin.; Zoes. eod. loc., n. 4. Interdicta pene omnia esse in personam concepta facile colligitur ex l. 1, § 3, ff. h. t. Uterius etiam interdictorum omnium fundamentum est possessio, vel quasi, quæ cum ex se ipsa *juris* non sit, *sed facti*, divisionem *juris in re*, et *ad rem* non recipit, quapropter pene nullum interdictum esse in rem plane constat. Excipiendum tamen, teste Ulpiano in l. 3, § 13, ff. de itin. actuq. privat., interdictum *de itinere actuque privato*. Sane nec interdicta *quorum bonorum*, nec *Salvianum*, nec *uti possidetis*, et *utrobi* in rem esse jam docuit Huber. prælect. ad instit. h. t., § 7.

(4. Triplex in hoc titulo proponitur interdictorum divisio. Prima est, quod sint *vel prohibitoria*, vel *restitutoria*, vel *exhibitoria*: Voet. ad Pand. h. t., num. 3; Zoes. eod. tit. num. 5, etc. *Prohibitoria* sunt ea quibus prætor aliquid fieri vetat, veluti: « Ne quis vim faciat sine vitio possidenti; Ne quis mortuum in locum quo jus ei est inferentem impediatur; Ne quis in loco sacro ædificet, vel in flumine publico ripave aliquid faciat quo pejus navigetur. » Vide § 1, h. t., et l. t., ff. de mort. infer., l. 1, et passim ff. *Ne quid in loc. sacr.*, l. 1, ff. de Flumin. *Restitutoria* sunt interdicta quibus prætor aliquid restitui jubet, ut puta, cum jubet ei qui vi de possessione dejectus est, possessionem restitui, quod fit interdicto *de vi, et vi armata*, etc. Demum *exhibitoria* interdicta sunt ea quibus aliquid prætor jubet exhiberi: ut puta cum parentes de liberis quos in potestate habent exhibendis sibi agunt, etc.; de quibus videndi tituli particulares in Pandectis relati, *De homine libero exhib. et de lib. exhib.*

(5. Cum autem omnis de possessione rei privatæ contentio eo spectet, ut aut possessionem quam nunquam habuimus acquiramus, aut adeptam retineamus, aut quam amisimus recuperemus, ex his oritur altera interdictorum divisio, quod quædam sint *adipiscendæ*, quædam *retinendæ*, demum quædam *recuperandæ* pos-

sessiones, quæ vocabula ex præmissis satis clara putamus, § *Sequens inst. h. t. l. 2, § ult. ff. h. t. Heinecc.*, in Pand., h. t., § 287, aliique plures. Adipiscendæ possessionis quam nunquam habuimus, duo sunt interdicta, *Quorum bonorum*, et *Salvianum*, quæ duntaxat proponuntur, licet eodem genere sint interdicta, *Quod legatorum. Ne vis fiat ei qui in possessionem missus est* — *De Tabulis exhibendis, et de glande legenda*, quæ exstant in lib. XLIII Digest. a tit. 3, etc. A verbis ejusdem interdicti initialibus interdictum hoc nuncupatum fuit *Quorum bonorum*. Ait enim prætor, *Quorum bonorum ex edicto suo alicui possessio data sit, id se ei restitui jussurum*, l. 1, in fin. ff. h. t., § *Adipiscendæ* Inst. de interdict. Ex quibus prætoris verbis *restitutorium* hoc interdictum dicendum esse videtur, abusive tamen dictum fuit, quoniam vocabulum *restituere et dandi*, significationem recipit ex l. *Verbum reddendi* 94, ff. de verb. Signif.; Vinn. Inst. h. t., num. 2, in fin. Dicitur etiam hoc interdictum *ad universitatem bonorum, non ad res singulas pertinere*, uti ab Ulpiano scriptum est in l. 1, § 1, ff. h. t., in quo duo hæc judicia scilicet petitio hæreditatis, et interdictum *quorum bonorum* præcipue conveniunt l. 1, in princ., ff. de rei vindic.; l. 1, § 1, ff. *Quor. bon.*; Vinn. Inst. tit. de interd. sub. num. 3. Neque inter se differre eadem dicendum est, eo quod petitione hæreditatis ille etiam teneri dicitur qui rem unam hæreditariam licet minimam possideat: l. 9, et seq. ff. de petit. hæredit., salvo enim Ulpiani responso in præcit. l. 1, etc., hoc recte accommodatur etiam interdicto *Quorum bonorum*. Nam qui vel unam rem hæreditariam non particulari titulo, sed pro hærede possidet, is totam hæreditatem jurisque universi sibi asserit successionem. Consule Chacherani decis. 74, l. *Hoc amplius* 29, ff. de furtis junct., l. *Regulariter* 9; l. 10 ff. de petit. hæredit. Neostadius Curlyprem. decis. 25; Vinn. inst. h. t., num. 3, § 3.

(6. Interdictum *quorum bonorum* ab hæreditatis petitione pluribus differt: illud enim tantum est de corporibus: l. 2, ff. *Quor. bonor.*; Vinn. Inst. h. t., § *Adipiscendæ* 3, num. 3, adeoque contra debitores hæreditarios qui non corporum, sed juris sunt possessores, intentari non potest: Zoes. in Pand. t. *quor. bon.*, n. 3; secus vero in hæreditatis petitione qua etiam debitores hæreditarii tanquam juris possessores tenentur: l. 2, ff. *Quorum bonorum*, junct. l. *Nec ullam* 13, § ult.; l. *Si debitor* 42, ff. de petit. hæredit.; Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bon.* num. 1, in fin.; Huber. prælect. Jur. Romani, lib. iv Inst., tit. 13, num. 3; Perez. in Cod. de petit. hæredit., num. 14, etc. His adde quod in illo simplex petitur detentio, in hac rerum plenum jus atque dominium. Demum hoc interdictum, ut pote remedium possessorium, semiplenam requirit probationem, brevisque in eo est ac facilis via ad acquirendam possessionem; in petitione vero hæreditatis plenissime de omnibus inquiretur, et exactissimam requirit probationem: l. 1, Cod. *Quor. bonor.*; l. *Judices*

9, Cod. de judic. add. Affict. decis. 14; Menoch. de Adipisc. possess. rem. 1, num. 97 et seq. Consule etiam Ant. Fab. Cod. Sub. tit. *Quor. bon.*, defin. unic.; Perez. instit. imper. lib. iv, tit. 15, vers. *simile*, etc., pag. 128. Quas duas postremas differentias judiciis omnibus possessoriis et petitoriis communes esse testatur Huber. prælect. Jur. Rom., lib. iv, tit. 15; Inst. num. 5, in fin.

(7. In omnibus interdictis non modo rei principalis, sed et fructuum ratio habetur, qui tamen a die tantummodo motæ litis seu redditi interdicti, non retro veniunt: Text. in interdictis 3, ff. h. t.; l. *Quæsitum est* 8, § *ex hoc interdict.* 4, ff. de precario; Voet. ad Pand. h. t., num. 4; Peregrin. de fideic., art. 49, num. 145 et 148; Rot. cor. Coccin. decis. 1809, num. 4, cor. Merlin. decis. 330, num. 3 et 5; cor. Benincas. decis. 287, num. 10; cor. Crescent. decis. 126, num. 3, tom. I, et in Romana, seu Forlivier. Fideicommissi de Maraldis super fructibus, 26 Aprilis 1723, § *Sumus*; cor. Gamaches. Et in specie, quod in interdicto *quorum bonorum* fructus solummodo veniant a die litis contestatæ, et jurium productionis, tenent Salicet. in l., num. 10, Cod. *Quor. bonor.*; Beroi cons. 53, num. 3 et seq., lib. ii; Manz. in § 1, num. 64, Inst. de interdict.; Achill. Personal. de interdict. quorum bonorum, num. 457; Menoch. de adipisc. possess. remed. 1, num. 3 et seqq.; Anton. Gomez. in l. 45; Tauri num. 167; Grass. de success. lib. iii, tit. de transmiss., quæst. 4, ante med., et quæst. 9, num. 8; Ridolphin. in prax. par. ii, cap. 10, sub. num. 79, vers. 4, 6 et 7; Rot. cor. Seraphin., decis. 178, per tot.; cor. Cavaler. decis. 409, per tot. in Rec. decis. 288, num. 1, cum plur. seqq. part. xvii, et cor. Ansaldo. decis. 98; num. 34, tom. I, etc. Cujus rei ratio in eo sita est, quia tale interdictum datur pro adipiscenda possessione bonorum per defunctum possessorum tempore mortis, adeoque fructus qui post obitum bona possidentis, et ante redditum interdictum percepti sunt, vi ejusdem interdicti nequeunt venire, uti habet Rot. Cor. Cavaler. decis. 409, num. 2 et seqq., et Menoch. de adipisc. rem. 4, num. 800. Nul- lum enim in his tempore mortis jus habuit defunctus eodem modo quo in rebus creditis, necdum traditis nullum habere jus dicitur. Vide Perez. in Cod. lib. viii, tit. 2, num. 7, quanquam ab his aperte dissentiat Rota in nuperr. dec. 82, num. 20, tom. VI.

(8. Verum hic non importune quærendum an, ad instar cæterorum interdictorum in judicio petitionis hæreditatis, præstandi sint fructus a die motæ litis sive jurium productionis. Atque ubi revera de judicio petitionis hæreditatis agatur, illud semper tanquam axioma receptum est, fructus a die obitus testatoris vel apertæ successionis venire: textus in l. *Item veniunt*, § *Fructus*, ff. de petit. hæredit.; Rot. in Rec. Decis. 249, num. 2, part. xiii, in Realina successionis super reservatis 14 Martii 1710, § *Objectum*; cor. Priolo, in nullius, seu subjacen. successionis 28 Aprilis 1753, § 1, cor. Molino,

in Forolivien, fructum 16 Januarii, 1760, § 3; cor. Azpur., in Cæsenaten. Immissionis super fructibus 30 Aprilis 1779, § 3; cor. Sentmanat, et in Romana immissionis super fructibus Cambiorum 21 Junii 1779, § 3; cor. Soderino, etc. Quod ex eo maxime receptum est, quia in hoc judicio fructuum restitutio non a mala fide dimelitur, nec a litis contestatione, sed ab ipso dominio, quod post defuncti obitum defluit in verum hæredem, ad quem proinde a die apertæ successionis spectat hæreditatis emolumentum: De Luc. de hæred., disc. 9, num. 5; Affict. decis. 240, num. 2, et seqq.; Rot., cor. Ansaldo. decis. 578, num. 2, tom. V, in Urbeveta fideicommissi super fructibus, 26 Junii 1743, § 3; cor. Molino, in Eugubina bonorum super fructibus, 21 Junii 1751, § 13; cor. Cortada, et in Romana seu Neapolitana immissionis super fructibus, 26 Aprilis 1779, § 4; cor. Herzan. Illud autem dicitur petitionis hæreditatis judicium, in quo disputatur quisnam sit defuncti hæres, et ad quem ex colligantibus pervenire debeat hæreditas: text. in l. prima, ff. *Quorum bonorum*, l. prima, ff. *Quorum Legatorum*; l. 2, Cod. eod., Perez. in cod. de petit. hæredit., num. 1; Rot. in Romana, seu Michilen. successionis super fructibus, 20 Februarii 1744, § 2; cor. Molino, in Eugubina immissionis 16 Martii 1753, § 4; cor. Bussio, in Stillerden. Hæreditatis de Gomar. super fructibus, 4 Februarii 1760, § 6; cor. Herreros, et in Romana seu Neapolitana immissionis super fructibus, 26 Aprilis 1779, § 2; cor. Herzan.

(9. Ex hætenus dictis colligere est quod in judicio petitionis hæreditatis fructus restituendi sint a die apertæ successionis; hi quippe hæreditatem augment, et cum ea petiti censentur, etiamsi de his in libello nulla facta fuerit mentio: Perez. in Cod., l. 3, tit. 31, de petit. hæredit., num. 14. Quod quanquam in abstracto sit indubitatum, tamen si in concreto reus, et possessor habuit probabile fundamentum bonæ fidei, quod hæreditas sibi potius quam actori competet, tunc talis bonæ fidei possessor de fructibus ante motam litem perceptis non tenetur, nisi quatenus ex his factus sit locupletior: Textus in l. 1, § 1, Cod. de petit. hæredit.; Perez. in Cod. eod. tit., num. 14; Rot. in Romana seu Neapolitana immissionis super fructibus, 26 Aprilis 1779, § 6; cor. Herzan.; Gratian. discept. forens. 422, num. 1 et seq., etc., etc., et cor. Ansaldo. decis. 98, num. 32. Quis autem dicatur factus locupletior, consule Donell. comm. jur. civil., lib. xix, cap. 14, num. 32. Vide et Gothofred. in not. ad l. 22, Cod. de rei vindicat., etc. Interdictum *quorum bonorum*, quod ad universas res pertinet, perpetuum est: Voet. ad Pand. ad tit. *Quorum bonorum*, sub. num. 1; Peregrin. de fideic., art. 46, num. 10, etc., ubi illud usque ad 50 annos produci et proponi posse tenet, cum Bart. in l. 1, ff. *Quorum bonorum*. Accommodatur autem hoc interdictum bonorum possessori, ei nimirum cui a prætore decreta est bonorum possessio, seu hæredi prætorio: l. *Hæreditatem* 1, Cod.

Quorum bonorum; Vinn. Inst. lib. iv, tit. 13, § *Adipiscendæ*, 3, num. 2; Perez. in Cod. eod. tit., num. 2; Zoes. in Pandect. eod. tit., num. 1, etc.; Heinecc. ad Pandect. eod. tit., § 289, etc.

(10. At hic cum Zoesio quæri posset an hoc interdictum competat etiam hæredi qui jure civili hæres existat. Cujacius in paratit. Cod. tit. *Quorum bonorum*, a quo non multum recedit Donellus Cod. eod., num. 3, sentit hæredi civili hoc interdictum competere non posse, cum prætor tantum suos hæredes tueatur. At secus ex plurium sententia dicendum videtur, qua demum obtinuit jus, ut etiam iis utile detur, qui jure civili hæredes facti sunt, ut communiter tenent post Text. in l. 1, Cod. *Quorum bonorum*; glos. com. approbata ad rub., Cod. eod.; Schneid. tit. *Quorum bonorum*, num. 13; Ant. Faber. Cod. sub eod. tit., defin. unic.; Vinn. Inst. de interdict., § 3, n. 2.; Huber. prælect. jur. Rom., eod. tit. Instit., n. 5, Zoes. in Pand., tit. *Quor. bonor.*, num. 2; Perez. in Cod. eod. tit., num. 2; qui omnes et ad hæredem suum illud extendunt. Vide etiam Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bonor.* sub num. 1; Rot. cor. Ansald. decis. 460, num. 1; Ridolphin. in prax. part. II, cap. 7, num. 32; Marant. de ordin. judiciar., part. IV, distinct. 7, num. 2, etc. Quam indubie recipi posse sententiam intelligitur ex leg. 1, Cod. h. t., quæ habet dari hoc interdictum ei qui probaverit se ad hæreditatem aut ad bonorum possessionem admissum esse. Quibus adde etiam quod prætorium jus non eo duntaxat comparatum est, ut emendet aut suppleat in toto, verum etiam ut adjuvet jus civile: Zoes. ad Pandect. l. c., num. 2, in fin., etc.; Accurs. aliq. ad d. l. 1, etc.

(11. Hoc itaque utiliter agunt interdicto non tantum hæredes prætorii, quam etiam civiles, qui quoad effectum nullimode inter se differunt: Huber. prælect. jur. Rom., lib. IV, tit. 15, num. 5. Quin obstat quod in hærede suo dominium defuncti continetur, in extraneum vero propter additionem transferatur, in utroque siquidem casu neque ex domini continuatione aut translatione acquiritur possessio: l. *Cum hæredes* 23, ff. de acq. vel amitt. possess. Vide et Vinn. loc. sup. cit., sub. num. 2, in princ. etc., quam sane, vel hæreditatis petitione, vel hoc assequitur interdicto statim ac sua qualitas iudicii innotescat. Qui enim tanquam frater hoc agit interdicto, ut possessionem acquirat, hanc non ante adepturus est quam illam fratris qualitatem iudicii demonstrat, ex lib. I, Cod. *Quorum bonorum*, etc., utroque autem remedio in hoc casu quisquam hæres utiliter agit, utilius tamen est agere interdicto *Quorum bonorum*, in quo scrupulose nimium, uti supra visum fuit in hæreditatis petitione, non inquiritur. Vide Perez. in Cod. l. c., num. 3, etc. Neque hoc agens interdicto repellit potest exceptione domini, nisi in continenti reus illud probare possit: quod si differat, objecta exceptio interdicti executioni non obsta-

bit, quia in hoc summarie causa expeditur, et frustrationibus omnibus amputatis, res restitui iubetur: l. ult., ff. *Quorum bonor.*; l. 3, § 13, ff. ad *exhibendum*; Menoch. de remed. adipisc., num. 14, quæst. 29, etc. Ex qua possessionis translatione vel restitutione causæ proprietatis non fit præjudicium, propter quam et altera actio postmodum institui potest: Perez. in Cod. tit. *quor. bonor.*, num. 8.

(12. Adversus duo possessorum generatur hoc interdictum, tam nimirum adversus eos qui pro hærede quam qui pro possessore possident res ejus de cujus hæreditate agitur. l. 1, ff. *Quor. bonor.* Ulterius etiam et adversus eum competit qui dolo malo fecit ut rem possidere desineret; in hoc quippe casu ex causa doli pro possessore semper habetur: l. 2, Cod. *Quor. bonor.*, junct. l. *qui dolo* 131; l. *parem esse* 150; l. *ad ea* 157, § 1, ff. de Reg. jur.; Huber. prælect. Jur. Rom. Inst., tit. de interdict., num. 5.; Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bonor.*, sub. num. 1, Vide et Heinecc. ad Pand., eod. tit., § 289, etc. *Pro hærede* autem possidet qui putat se esse hæredem, existimans sibi jure debitam hæreditatem: *pro possessore* possidet qui nullam causam possidendi habet, vel saltem injustam: leg. 9 et 10; leg. *pro hærede* 11; leg. *qui interrog.* 12; l. *nec ulla* 13, ff. de petit. hæred. Peregrin. de fideic., art. 46, num. 11, etc., cujus generis est fur, prædo, etc.

(13. Tales ergo possessores hoc afficiuntur interdicto, dummodo possideant titulo universali pro hærede, etc.; quod si titulo aliquo singulari et justo quis possideat (puta *pro emptore*, *pro donato*) sicuti hoc interdictum, ita neque hæreditatis petitio competit: l. 7, Cod. de petit. hæredit.; l. 4, in quib. caus. cess. longi temp. præscr.; Zoes. l. cit., num. 3; Rot. decis. 565, num. 4; cor. Coccino, decis. 671, num. 1 et 2, part. I, in Rec., et cor. Malines, decis. 274, num. 2. Iniquitatis enim speciem redoleret rem a possidente justo titulo auferre, eamque ei quem dominum esse non constat, adjudicare: l. ult., ff. de publ.; Perez. in Cod., tit. *Quor. bonor.*, num. 6; Vinn. Inst. tit. de interdictis, § 3, sub. num. 2, versicul. *pro hærede*, etc. At titulus non excusabit, si talis sit quem lex improbat, ut in titulo *pro emptore*, si res sit empta a furioso; *pro donato*, si res ab uxore marito donata sit: *pro dote*, si accepta sit a minori nupta, etc., de quibus et aliis agit l. 13, ff. de hæredit. petit.: quippe in allatis casibus titulus ipso jure nullus est, ac pro possessore possidere dicitur: Voet. ad Pandect. tit. *Quor. bonor.*, num. 1, in med.; et cum eo agi potest, vel interdicto, vel petitione hæreditatis: Vinn. inst. tit. de interdict., § 3, sub. num. 2, vers. *pro hærede*, etc. in fin.; Covarr. pract. quæst., cap. 12; Cacheran. decis. 56; Ridolphin. in prax., cap. 10, num. 39; Ciroch. discept. 50, num. 88, et discept. 70, num. 46, et Rot. cor. Falcon. de misc. dec. 68, num. 9

(14. Rursus, ad exemplum petitionis hæ-

reditatis, datur hoc interdictum pro iis bonis quæ in hæreditate defuncti, cum moretur, fuerunt, et pro iis etiam quæ ex his usucapta sunt, ut ex verbis l. 1, ff. *Quor. bonor.* De Luc. de donat., disc. 20, sub num. 3; Rot. decis. 162, num. 5; cor. Emerix. Cujus interdicti vis nedum ad bona tantum possessa tempore obitus restringitur, sed ad ea etiam extenditur bona quæ simpliciter defunctus, cum moretur, detinebat, veluti ex causa depositi, commodati: ad l. *Item videndum*, § fin., et l. seq., ff. de petit. hæredit.; Peregr. de fideic., art. 46, num. 14; Menoch. de adipisc. poss. 1, num. 78; Rot. cor. Burret., decis. 386, sub num. 2, etc. Ex bonis enim et illa dicuntur quæ non solum possessa, sed etiam detenta fuerunt: l. *rem in bonis*, ff. de acq. rer. dom.; Peregr. loc. cit. et Menoch. eod. l., etc. Imo etiam competit pro rebus quas defunctus jure usufructus possidebat: Menoch. de adipisc. q. 19, rem. 1, etc.; Peregr. art. 46, n. 14, adeoque et feudalia bona interdicto hoc ab injusto possessore avocantur juxta jus feudale, lib. II Feudor. tit. 26, § *Inter filiam* 1; Voet. ad Pand., tit. *Quorum bonorum*, n. 1, in fin.; Roland. consil. 1, n. 9, in princip.; Beroi consil. 67, n. 67, in pr.; Peregrin. de fideicom. art. 46, n. 14, etc.

(15. Ab interdicto *quorum bonorum* parum distat alterum remedium possessorium hæredibus propositum, et a Justiniano introductum ex l. ult. Cod. de edict. divi Adr. toll. Hoc autem discrimine utrumque notatur, quod in interdicto *quorum bonorum* summaria saltem juris probatione sit opus, in hoc vero satis est ut conspicuo aliquo vitio testamentum non laboret: Accurs. ad d. l. fin. Verb. *legitimo*, Cod. eod.; Voet., ad Pandect. tit. *Quor. bonor.*, n. 2; Zoes. eod. tit. n. 5. Ex quibus patet, ut notat præcatus Voet. loc. cit., remedium hoc non competere nisi ex testamento, dum alterum competit, sive ex testamento agatur, sive ab intestato. Cæterum de his qui fusiis edoceri velit adeat inter alios Voet. ad Pandect., tit. *Quor. bon.*, a num. 2, et plur. seq.; Zoes. eod. tit., a num. 5, etc., et Vinn. inst. tit. de interdict., § *Adipiscendæ* 3, n. 3, versicul. *Is dicitur*, in fin., qui addit quod supra relatam interdictum ex testamento competit, quatenus sit testamentum nuncupativum in scripturam redactum, aut petente nuncupato hærede publicatum, de quo Vigl. in præl. d. l. ult., etc.; Sichard., ibid., n. 4 et 5; Menoch. de adipisc. 4, n. 648, et 726; Ant. Faber. Cod. suo ad eund. tit. defin. 3 et 4; Christian. vol. IV, decis. 30.

ARTICULUS II.

De Salviano interdicto aliisque interdictis possessoriis.

(1. Ad adipiscendam possessionem pertinet etiam interdictum Salvianum, § *interdictum quoque institutionum de interdictis*, l. 2, § *Sunt autem*, ff. eodem, glos. in rubrica Codicis de precario et Salviano interdict.; Pacific. de Salvian. inspect. 1, n. 5; Pere-

zius in Cod. lib. VIII, tit. 9, num. 9, de precario, et interdicto Salviano, etc. « Datur hoc interdictum locatori adversus conductorem, eundemque debitorem de rebus colono natis in agro conducto, vel nominatim pignori obligatis pro mercedibus fundi ne defraudetur: » l. 1, Cod. de precario, et interdicto Salviano, § *Adipiscendæ* 3, in fine Institutionum de interdict.; Voet. ad Pandectas de interdict. Salviano, lib. XLIII, tit. 33, in princ.; Zoes. eodem num. 5; Heinecc. eodem loc., § 352. Vinn. Inst. tit. de Interdictis, § 3; Oinotim. Inst. eodem tit., num. 4 et 5; Perez. in Cod., tit. de precar. et Salviano interdicto, num. 9. Hic tamen a prædio urbano rusticum prædium est distinguendum; ubi enim agatur de prædio rustico, tacite oppignorata censentur ea duntaxat quæ ibi nata sunt, quales sunt fructus fundi, etc.: l. 5, 6 et 7. In quib. caus. pign. Secus vero si de prædio urbano res sit; quo casu invecata ibidem illata tacite pignori obligata censentur pro mercede fundi locati: Perez. in Cod. l. cit., num. 10, etc. Interdictum Salvianum datur tantummodo adversus conductorem prædii rustici, debitoremve: l. 1, Cod. de Salviano interdicto; Heinecc. ad Pand. eod. tit., § 353; Perez. in Cod. eodem tit., num. 12. Quod tamen intelligas de Salviano *directo*, siquidem *directum* est aliud, aliud est *utile*. Hoc autem quod *et quasi Salvianum* appellari solet, Heinecc. ad Pand. l. cit., § 354, in fin., cum competat omni creditori hypothecario adversus debitorem ad possessionem pignoris adipiscendam, competit etiam locatori prædii urbani contra inquilinum pro rebus invecatis et illatis, pignorique obligatis, pro pensione domus locatæ. Quam theoreticam de utili interdicto extendendam esse censuerunt ad quemlibet creditorem, non tantum contra debitorem qui rem ex qualibet causa obligavit, sed adversus quemlibet extraneum possessorem rerum debitoris pignori obligatarum: l. 1, ff. de Salvian. interdict., et l. 1, Cod. eod., et ibi: Accurs. Donellus, Giphanius, Menoch. tom. III Adipisc., num. 23; Cujacius lib. V, obs. cap. 24, etc. Ex quibus colligere est quod Salvianum hoc utile non competat nisi ipsius verificatis extremis, quæ sunt *possessio actualis rei conventi, possessio antiqua debitoris, et creditum cum hypotheca*: Menoch. de adipisc. possess., remed. 3, num. 61 et seq.; Conciol. alleg. 4, num. 1; Rot. cor. Cavaler., decis. 399, num. 1, post Pacific. de Salvian. interdict. decis. 13, num. 2 et seq., post Salgad. decis. 16, num. 14, et Rot. cor. Falconer. decis. 7, num. 1, de Salvian. Interdict. cujus extrema talia esse debent, ut si agatur de credito, illud liquidum undequaque esse debet: Pacific. de Salvian. interdict., inspect. prima, cap. 5, n. 2, et seqq., et inspect. 4, cap. 1, num. 4, et inspect. 5, cap. unic., num. 34; Rot. post eandem decis. 203, num. 1, et seq., in Rec. decis. 204, num. 7, part. XIX, et cor. Falconer. de Salvian. interdict., decis. 1, num. 5. Hypotheca vero talis esse debet ut nullo alio anteriori jure superetur: l. 2, ff. *Qui pot. in*